



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Selectae Christiani Orbis Deliciae ex Urbibus, Templis,
Bibliothecis, et aliunde**

Sweerts, Pierre François

Coloniae Agrippinae, M. DC. IIX.

Florentina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69234](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69234)

refugerunt. Rebelles facti cōscij, capite sunt mul-
tati. In alios eiusdem domus multa extant decre-
ta. Deo agantur gratiæ, & hæc obliuioni non tra-
dantur.

—————
FLORENTINA.
—————

IN FLORENTIAM IVL. CAES.
SCALIGER.

Parna fluentisonis aggesta Fluentia ripis
Mollia de nitido nomina Flore capit.
Fasula regnabat: verum meliora sequutus
Martius antiquas detulit amnis opes:
Diuities Hera: Mercurius discrimina linguæ
Mercurius varias ire redire vias:
Ambitiosa, ferox, bellacia, flammea, Mauors
Pectora, magnificam docta Minerva manum:
Iuppiter ostendit caelestes mentibus aulas:
Sirenum tribuit dulcis Apollo sonum.
Vera vetus Roma soboles, aliena requiris:
Mutua quæ proprias vertis ad arma manus.

—————
IN PORTA CIVITATIS.

CAROLVS V. CAES. August, cū in signi o-
mnium Christianorum beneficio immanem archi-
piratam regno Tunetano pepulisset fugassetque;
Niculo, Neapolitano suis regnis constitutis; Roma
profectus Florentiam, hanc portam cum magna
pompa ingressus, populo cuncto præ lætitia gesti-
tute, ab Alexandro Medices ciuitatis Duce, cui Mar-
garitam filiam desponderat, illustri apparatu, Re-
gali-

P 5

gali hospitio Mediceas in ardes acceptus est. Anno
Domini M. D. XXXV. Id. Maij.

SVPRA PORTAM MAGNAM AD
SPONSAM AVSTRIACAM.

Ingrederere opt. auspicijs fortunatas qdes tuas,
gusta Virgo, & prestantiff. spōsi amore, clariffimij
Ducis sapientia cū bonis omnibus delicijsq; sum-
ma animi securitate diu felix & læta frueri, & di-
uinae tuæ virtutis, suauitatis, fecūditatis fructibus
publicam hilaritatem confirma,

IN PALATII VESTIBVLO.

Ingressa auspicijs hanc urbem. dijsq; secundis,
Cæsaris inuicti Angusti pulcherrima proles:
Nunc ijdem subeas hæc limina & aurea tecta.
Adventu ecce tuo latantur, & omnia rident.
Hæc redimita olea crines pax alma corona,
Et securæ quies, & cætera numina lato
Te vultu accipiunt venientem, & fronte serena.
Omnes & votis optant, & voce precantur,
Sic felix, adsisq; tuo cum coniuge virgo:
Æternum imperium vigeat, nomenq; decusq;

IN ARCV TRIUMPHALI AD IMVM
ARNI PONTEM.

Quæ tam præclara nascetur stirpe parentum
Inclita progenies digna atavisq; suis.
Mætrusca attollet quantis se gloria rebus,
Coniugio Austriacæ Mediceæq; domus.

*Vite felices non est spes irrita. namq;
Diuina Charites talia voce canunt.*

ANTE PORTAM ARCIS.

Quod faustum felixq; sit: Carolus V. Rom. Imp. ex Africa rediens, cum Alexandrum Medices Florentinorum Ducem, generum suum, extructa iam reliqua arce, turris huius fundamenta locantē reperisset, primū victricī manu lapidem ponere non dedignatus est. Anno 1536.

AD PORTICVM MERCATORVM.

COSMVS MEDICES Florentinæ Dux, publicæ magnificentiæ, & salubritatis ergo, porticum transuerso columnarum ordine, vndique permeabilem, aduersus cœli contumeliam negotiantibus in foro ciuibus suis extruxit, Anno M. D. XLVIII.

IN AVLA MAGNA PALATII.

Has ædes, atque aulam hanc, tecto elatiori, aditu, luminibus, picturis, ornatuq; augustiori, in ampliore formam decoratam, dedit Cosmus Medices illustriss. Florent. & Senar. Dux, ex descriptione, atq; artificio Georgij Vasarij Aretini pictoris, atque architecti 1565.

IN S. MARIAE REPARATAE.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Generali Concil. Florentinæ celebrato, post longas disputationes, vniō Græcorū facta est in hac ipsa Ecclesia, die VI. Iulij, anno 1430. præsidente eidem Concilio Eugenio P. P. IIII. cum Latinis Episcopis & Prælati, & Imp. Constantinopolitano, cū Episcopis, & Prælati, ac Procerib. Græcorū

rum in copioso numero, sublatisque erroribus, in
vnam eandemque rectam fidem, quam Romanarum
et Ecclesia, consenserunt.

IBIDEM.

Multum profectò debet Musica Antonio Squar-
cialupo Organistæ. Is enim ita arti gratiam admi-
xit, vt quartam sibi viderentur Charites Musica
adsciuisse sororem. Florentina ciuitas grati animi
officiû rata, eius memoriam propagare, cuius ma-
nus sæpè mortales in dulcem admirationem dux-
rat, Cui suo M.P.

IOTTI PICTORIS, QUI TURRIM
AEDIFICAVIT.

*Iste ego sum, per quem pictura extincta renixit,
Cui quam recta manus tam fuit & facilis,
Naturæ deerat nostræ quod defuit arti,
Plus licuit nulli pingere nec melius.
Miraris turrim egregiam sacro ære sonantem,
Hæc quoque de modulo creuit ad astra meo.
Denique sum Iottus, quid opus fuit ista referret
Hoc nomen longi carminis instar erat.*

AD DANTIS EFFIGIEM.

*Quod cælum cecinit, mediumque, imumque tribunal,
Lustravitque, animo cuncta Poëta suo.
Doctus adest Dantes, sua quem Florentia sæpe
Sensit consilijs, ac pietate patrem.
Nil potuit tanto mors saua nocere poëta.
Quem viuam virtus, carmen, imago facit.*

SEVERINI NORBII EQVITIS
AVRATI DANI.

Oceanum hostili toties qui sanguine tinxit
 Agelida Thyles littore ad vsque Cronum,
 Quem non immeritò Sclavi, Suediq³, Gothiq³,
 Vnã aliãq³ vrbes extimare ducem:
 Norbius Etrusco iacet hic Seuerinus in antro,
 A Florentina missus ad astra pila.
 Barbarus ille nequit captiuum extinguere Moscos,
 Mergere non medijs Ennosigæus aquis.
 Debuit in Latio, velut orbis in arce perire,
 Tanta viri vt virtus vndiq³, nota foret.

MARSILII FICINI.

En hospes, hic est MARSILIVS Sophia pater,
 Platonicum qui dogma, culpa temperum
 Sui obrutum, illustrans, & Atticum decem
 Seruans, Latio dedit fores primus sacras,
 Diuina aperiens mentis actus numine.
 Vixit beatus ante Cosma munere,
 Lauriq³, Medicis: nunc reuixit publico.
 Viuitur ingenio; viuit, quem rere sepulcrum:
 Mors abolet tanti non monumenta viri.

EIVSDEM.

Mores, ingenium, Musa Sophiaq³, sepulta est
 Laus hic, cum magni corpore MARSILII.

EIVSDEM.

Mores, Ingenium, Musas, Sophiamq³, supremam
 Vnũ dicam nomine? MARSILIVS.
 Ang. Politianus faciebat.

IBIDEM.

Quantum PHILIPPVS DE BVRNEBESCA
Architectus arte Dædalea valuerit, cum huius
leberitimi mira testudo templi, tum plures machi-
næ diuino ingenio ab eo adinuentæ documentas
se possunt: Quapropter ob eximias animi fuerit
tes, singularesque virtutes, xv. Calen. Maias
1444. eius B. M. corpus in hac humo, superstita
ta patria sepeliri iussit.

IBIDEM.

SYLVESTER MEDICES H. A. D. Q. qui
de republ. domi forisque meritis est, ut eque
ordine, & amplissimis donis, & loco sepultura
maximo consensu ciuitatis, decoratus sit, Anno
salutis M. CCC. LXXXVIII. Vixit ann. LXII.
M. VIII. D. XII.

IBIDEM:

VERIVS MEDICES, Eques opibus & generis
nobilitate clarus, sed & probitate & publicæ qua-
ritatis studio clarior, hac quiescit humo. Locus meriti
ei honoris ergò vni, & viuenti datus opt. ciui. Vixit
anno salutis LXXII. M. 8. D. 20. Obijt anno salutis
M. CCC. VC.

IN S. MARIA ANNUN-
CIATA.

BERNARDINVS LEONCINIUS Thomæ
Bernardi N. sciens per mortem non esse neg-
gendum, quod per resurrectionem est immortale,
sibi & posteris suis POS. anno salutis M. D.
LXXVIII.

IBIDEM.

ANGELVS MARTIVS Assisensis Episcopus,
ac l. C. à secretis Augustæ Medicū Domus, illius-
que alumnus, & in eam ob probitatem fidemq; ad-
fectus, hoc sibi vitens sepulchrum confecit, defun-
ctus vt sibi viuat, cum ante mortē amicis vixisset,
Anno 76. 0. anno Domini 1546.

IN D. LAURENTII.

*Si merita in patriam, si gloria, sanguis, in omni
Larga manus, nigra libera morte forent:
Viuere beu patriæ casta cum coniuge felix,
Auxilium miseris, portus & aura, suis.
Omnia sed quando superantur morte; Ioannes
Hoc mausoleo, tuq; Picardai iaces.
Ergo senex mæret, iuuenis, puer, omnis & atas,
Orba parente suo patria mæsta gemit.*

IBIDEM.

COSMVS DE MEDICIS hic situs est, decre-
to publico pater patriæ. Vixit ann. LXXV. M.
III. D. XX.

IOAN. AVSTRIACAE MAGNAE
DUCISSAE HETRVRIAE.

Hoc tumulo deposita sunt ossa Serenissimæ
IOANNAE AVSTRIACAE, Francisci Medices
Magni Etruriæ Ducis vxoris, cum tribus filiabus,
iniquo fato ante omnia peremptis, cum filiolo, qui
prius mortuus erat, cum illa quondam vitales au-
ras caperet, mærens ad tempus posuit.

P A V.

PAVLI IOVII

Novocomensis, Episcopi Nucerini, historiarum scriptoris celeberrimi, hinc deposita sunt ossa, donec eximia eius virtute dignum erigatur sepulcrum. Vixit annos LXVIII. M. VII. D. XXIII. Obijt 3. Id. Decemb. anno XXXII.

*Hic iacet heu IOVIVS, Romana gloria lingua,
Par cui non Crispus, non Patavinus erat.*

IBIDEM HODIE LEGITVR.

PAVLO IOVIO Novocomens. Episcopo Nucerino, historiarum sui temporis scriptori, sepulcrum, quod sibi testamento decreuerat, posteritas integra fide posuerunt, indulgentia max. Decum Colmi & Francisci Hetruriae Ducum. Anno 1574.

STEPHANVS PASCHASIVS POETA

HOC DISTICHON IN IOVIVM

lusit.

*Venalis cui penna fuit, cui gloria flocci,
Vix quid, vt ille, fide scripserit historica.*

D. O. M.

ANTONII CIOFII imago hæc est, Iurisco- sulti celeberrimi, atque omni polita doctrina ex culti. vtrumque Ius spacio 30. annorum Pisis voc. subtiliter interpretatus est, quod etiã scriptis suæ acuminis & elegantiae plenis illustravit. Immatura viri subitaque mors ingentem dolorem artibus familiaribus & studiosis scientiæ Legum, orbem repente & recondita magni Doctoris eruditione & morum suauitate singulari.

Iulianus frater monumentum hoc, loco impetrato à Magno Duce Fracisco, summo amatore ipsius, honoris causa extruendum curavit. Vixit annos 55. Mens. 10. Dies 3. Obijt Pisis 6. Cal. Ianu. 1575.

IN AEDE S. MARCI.

IOAN. PICI MIRANDVLAE.

IOANNES *tacet hic MIRANDVLA: cetera norūt*
Et Tagus, & Ganges, forsan & Antipodes.

Obijt anno salut. M. CCCC. XCIII. Vixit ann. XXXII. Hieronymus Beneuenius, ne disunctus post mortem locus ossa separaret, quorum animos in vita coniunxit amor, hac humo supposita P. C. anno salut. M. D. XLII. Vixit ann. LXXXIX. M. VI.

Hic situs est PICVS, cuius si cuncta perissent,
Virtutum septem vix sat erant tumuli.

HERCVLES STROZA amico POS.

D. O. M.

ANTONIO VIDOTTO, ob pacem inter Anglor. & Francor. Reges confectam, ab Edoardo VI, equestre gradum, ab vrisq; insignia munera consecuto, in patria ab optimo Duce Cosmo in 48. virorum numeru cooptato, Volaterris demum praetura & vita functa, gentiles eius, absentibus filijs P. P. 4. Kalend. Decemb. anno 1555. Vixit annos 63. Mens. 6.

IBIDEM.

IOA. MARIA PANLOTIVS heic situs est, domo Eugubia. I. C. celeberrimus, qui cum operam diu nauasset Duci Vrbinati Principi suo, & in alijs

Q

Italia

Italiae urbibus plurimorum controuersias summa
cum laude dijudicasset : accersitus postremum a
Cosmo Medice Duce Florentinorū & Senens. pri-
mum in IV. Rotæ Iudicibus fuit: deinde causis
diendis præpositus, eo in munere cum valde pro-
batus foret omnibus, vitam amisit. Antonia Berni
mœrens, coniugi cariss. P O S. O. 4. Kal. Ianu. anno
Domini 1565. Vixit ann. 62. M. 2. D. 20.

ANGELI POLITIANI.

POLITIANVS in hoc tumulto iacet ANGELVS, vnum

Qui caput, & linguas, res noua, tres habuit.
Obijt anno M. CCCC. XCIIIX. Septemb. XXIV.
Aetat. XLIV.

PAVLVS CRINITVS amico pos.

Hic hic viator, paululum gradum siste:
Vatem potentis spiritus vides clarum:
Qui mente promptus acri, & arduum spirans,
Ac summa quæq; & alta consequi suetus:
Is ille ego ANGELVS POLITIANVS sum.
Fouit benigno me sinu Flora, & illic
In fata cessi: Parthenopæos Reges
Quum Gallica arma irruerent minabunda.
Tu vale, & hoc sis meriti memor nostri.

AD MARIAE NOVELLAE SVB
HOROLOGIO.

Sic fluit occultè, sic multos decipit ætas,
Sic venit ad finem, quicquid in orbe manet.
Heu, heu, præteritum non est reuocabile tempus,
Heu propius tacito mors venit ipsa pede!

IBIDEM.

*Ecclesia antistes fueram qui magnus Eoa,
 Hic iaceo magnus religione Ioseph.
 Hoc vnum optabam miro inflammatus amore,
 Vnus ut Europa cultus & vna fides.
 Italiam petij, fœdus percussimus vnum:
 Iunctaq; Romana est, me duce, Graia fides.
 Nec mora, decubui, nunc me Florentia seruat,
 Qua tunc concilium floruit vrbe sacrum.
 Felix qui tanto donarer munere viuens,
 Qui morerer voti compos & ipse mei.*

PARICAE MEDICEAE,

Pudicitia atque prudentia non minus, quam
 sanguine clara, incomparabili coniugi, Philip-
 pus Strozzius mœrens, decem liberis collacry-
 mantibus, pro tempore pos. Vixit ann. XXVIII.
 Mens. VIII.

NICOLAO GADDIO

Thadæi F. S. R. E. Cardinali, de Republ. Chri-
 stiana opt. merito, sepulcrum hoc tâto patruo de-
 beri Nicolaus Gaddius censuit, anno salut. M. D.
 LXXVIII. Vixit ann. LXI. M. VIII. D. XX. Obijt
 M. D. LII.

HIERONYMI MIRANDAE.

*Mercator pietate, fide, cultuq; Deorum,
 Nec minus insignis nobilitate fui.
 Humanis igitur spolijs MIRANDA relictis;
 Contemplor superum numina sacra Deum.*

Q 2

Hiero-

Hieronymus MIRANDA Franc. F. Hispan.
Vixit annos XXXV. Obijt M. D. LXI. v.
Idus Februar.

D. O. M. S.

ALBERTVS iacet hic LEO: Leonem
Quem Florentia iure nuncupauit:
Quod Princeps fuit eruditorum,
Princeps vt leo solus est ferarum.

IOANNIS BOCCATI.

Hac sub mole iacent cineres atq; ossa IOANNIS,
Mens sedet ante Deum meritis ornata laborum.
Mortalis vite genitor BOCCATIVS illi,
Patria Certaldum, studium fuit alma Poësis.
Obijt anno Domini M. CCC. LXXIII. Vixit
ann. LXII.

ITEM.

Egregius natus latij BOCCATIVS oris,
Fugientis patrio raptus in orbe iacet.

PROPE TEMPLVM S. CRVCIS.

HENRICVS IV. Roma rediens coronatus, in-
festus Florentinis, quòd coronationi suæ obtin-
sent, rogatus ab exulibus, quorum princeps erat
Dantes Poeta, urbem obsedit, ab ea parte qua
est ad septentrionem: atque cum vidisset ædifici-
intentam ciuitatem (præcipuè autem testatur id
palatium Cocchiorum, quod noctu etiam struebat-
tur funalibus accensis) post quadragesimum diem
soluta obsidione discessit M. CCC. XIII. Kalen.
Octobr.

IN S. CRVCIS AEDE.

MICHAELI ANGELO BONAROTIO, è ve-
nusta Simoniorū familia: sculptori, pictori, & ar-
chitecto: fama omnib. notissimo, Leonhardus pa-
truo amantiss. deque se opt. merito, translatis Ro-
ma eius ossibus, atque in hoc templo maior. suorū
sepulcro conditis; cohortante sereniss. Cosmo Me-
dices magno Herruriae Duce, P. C. Anno salutis
1570. Vixit ann. 88. M. II. D. 15.

LEONARDI ARETINI.

Postquam LEONARDVS è vita migravit,
Historia luget, Eloquentia muta est,
Ferturq; Musas tum Graecas, tum Latinas
Lacrymas tenere non potuisse.

Obijt M. CCC. XL. atat. LXXIV.

CAROLI POETAE.

Siste: vides magnum quae seruant marmora vatem,
Ingenio cuius non satis orbis erat?

Quae natura, Polus, quae mos ferat, omnia nouit:

Carolus at atis gloria magna sua.

Ausonia, & Graeae crimes nunc soluite Musa,

Occidit heu vestri fama decusq; chori.

AD CARMELITAS.

IULIANO PISTORIO PRATENSI, Carme-
litae, suo Prouinciali optimè merito, lugentes po-
suere. Qui quantū in Physica ac mathematicis dis-
ciplinis omnib⁹, praecipuè in Astrologia valuerit;
non Senae, Pisa, aut Florentia tantum, vbi annis
non minus 12. professus est; verum totus terrarum
orbis

Q 3

orbis agnouit. Vixit ann. 64, Mens. 5. Dies II. 9. Xbr. 1556.

APVD S. MINIATVM ORD. S. BENEDICTI.

*Regia stirps, IACOBI S nomen, Lusitana propago,
Insignis forma, summa pudicitia.*

*Cardineus titulus, morum nitor, optima vita,
Ista fuere mihi, mors iuuenem rapuit.*

Obijt anno M. CCCC. XIX. XVI. Kal. Maij.

NE SE POLLVERET, MALUIT ILLI
MORI.

Hic cum graui morbo detineretur, medicisq; suaderent, posse vitam sperare, si rem cum muliere haberet; mortem maluit expectare, quam peccare.

Nota lector: Egregium Castitatis exemplum.

IN HOSPITALI AD SCALAS.

AD EFFIGIEM MONSTRI NATI IN
agro Florentino.

Hac PETRVS Paulusq; vno sub corpore bini,
Fabrica naturæ mira, iacemus humo.

Cuiq; suum fuit & manuum fuit oris opusq;
Vesicæ, ast vnum fluxile ventris opus.

Iunxere extrema partes nos corporis ambos,
Quas neuter simul & dicat vterq; suas.

Neutra ex parte pedes, capita ex vtrâq; fuerunt
Bina, sed è medio corpore planta fuit.

Bina fuit medio quæ corpore planta, deorsum
Pendebat: sursum quinta erat vna manus.

Non verò nobis vnus somnusq; cibusq;.

Nec risus nobis, fletus & vnus erat.
 somno membra dabat vnus, ridebat at alter,
 Surgebatq; vnus, flens quoque & alter erat.
 In Florentina natos nos fluminis Arni
 Valle dedit patria nos pia cur a patris.
 Inde alti, & sacro pariter de fonte leuati,
 Viximus ambo decem bis totidemq; dies.
 Quid nunc Neptunū, quid nunc Ianumq; bifrontem
 Miraris? stygij terna quid ora canis?
 Et quid Geryonis tria corpora? scilicet vnum
 Nos corpus, binas nos animasq; lege.

AD CARTHVSIANOS.

DONATVS nomen, patria est Florētia, gens mī
 Acciaiola domus, clarus eram eloquio.
 Francorum ad Regem patrie dum orator abirem,
 In Ducis Anguigeri mœnibus occubui.
 Sic vitam impendi patrie, qua me inde relatum
 Inter maiorum nunc cineres sepelit.

EPIGRAMMA BIBLIOTHECAE
MEDICEAE.

DEO, praesidib. familiae, D. CLEMENS VII. Me-
 dices P. M. libris opt. studio maiorum, & suo vn-
 dique conquisitis, bibliothecam ad ornamentum
 Patriae, ciuiumque suorum vtilitatem d. d.

Hanc Bibliothecam Cosmus Medices Tuscorum
 magnus Dux perficiendam curauit. Anno Domini
 M. D. LXXI. III. Idus Iulij.

Q 4

ITEM.

ITEM,

*Cosmus in has edes meliora volumina xboꝝ
 Transtulit, & primas, quas habet orbis opes.
 Sic genuit tandem sterili de nomine Cosmus,
 Rem sibi tum mundo cœlitibusq; parem.*

 BONONIENSIA.

IN BONONIAM IVL. CAES.
 SCALIGER.

Post diras rerum clades, Fatigq; superba
 Imperia & Martis qua fera iussa tuli,
 Hic primum meq; atq; alios cognoscere cœpi:
 Deposuiq; animi barbara sceptrâ mali;
 Et didici, quàm non fueram, quàm deinde futurum:
 Quem bona abortiuum sic tuerere parens,
 Quæ causas, quæ cunetarum primordia rerum,
 Quæ diuini operis prima elementa doces,
 Cœlestesq; plagas, & sanctæ commoda vita,
 Et si quæ è numero nata figura latet,
 Cùm reliquas superes diuinis legibus vrbes:
 Non sulci omnigeno germine cedit honos.
 Arma viri connata: animus conterminus astris:
 Atq; ardens vita stat melioris amor.
 Si ciues dederas, si magna Hetruria leges:
 Accipe, quæ posui dicere: reddo libens.

IN D. PETRI,

BASIANI, PRAECEPTORIS AZONIS.
 Hoc tumultata iacent BASIANI membra Lapilla.